



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE *DEIPARA IN CAELI* TEMPLUM CATHEDRALE DEO
DICATUM IN HONOREM
BEATAE MARIAE VIRGINIS A ROSARIO, IN DIOECESI KAOHSIUNGensi,
AD GRADUM BASILICAE MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Deipara in caelis assumpta multiplici
intercessione sua pergit in aeternae salutis donis hominibus conciliandis (cfr. *Lumen gentium*, 62). Quia ergo Venerabilis
Frater Paulus Shan Kuohsi, Episcopus Kaohsiungensis, Marialem cultum alere ac fovere cupiens, cleri populique sibi
concreditu vota interpretatus petiit ut Kaohsiungensis dioecesis ecclesia cathedralis Deo dicata in honorem Beatae
Mariae Virginis a Rosario ad dignitatem Basilicae Minoris eveheretur, petitioni libenti animo obsecundare volumus. Itaque
de Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum consulto, Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine,
statuimus ut sacra aedes quam diximus ad titulum ac dignitatem Basilicae Minoris evehatur, omnibus adiectis iuribus et
privilegiis, quae templis hoc nomine insignibus rite competunt, secundum Decretum «De titulo Basilicae Minoris», die IX
mensis Novembris anno MCMLXXXIX datum. Contrariis quibusvis non obstantibus. Confidimus sane fore ut fideles
Kaohsiungensis communitatis ecclesialis ad Beatam Mariam Virginem colendam magis magisque incitentur. *Datum*
Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXII mensis Maii, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo
decimo. ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana